3 2044 106 475 486

MG
6
B14.3



**NEU REVIDIRTE BILLIGERE AUSGA**

**Kupfer in Folio, und Einleitung u**

1. Abtheilung, Architectu
2. Abtheilung, Sculptur,
3. Abtheilung, Malerei,

**FRANKFURT**

VERLAG VON G. W.

Druck von Benj. Krebs

# J. J. Baier

Q. D. B. V.

DISPVTATIO MEDICA INAVGVRALIS

*DE*

# IVNIPERO

QVAM

AVSPICIIS DIVINIS

CONSENSV ET AVTORITATE

*GRATIOSISSIMAE*

FACVLTATIS MEDICAE

IN

CELEBERRIMA VNIVERSITATE

ALTORFINA

PRO LICENTIA

SVMMOS IN MEDICINA

HONORES PRIVILEGIA ATQVE

INSIGNIA DOCTORALIA

SOLENNITER AC LEGITIME

CONSEQVENDI

*PVBLICO PHILIATRORVM EXAMINI*

SVBMITTIT

IO. CONRADVS KLEIN

NORDLINGENSIS

*AD D.* XX *IVN. A. R. S.* MDCCXIX.

LITERIS IOD. GVIL. KOHLESII ACAD. TYPOGR.

INCLVTAE ET LIBERAE

REIPVBLICAE

NORDLINGENSIS

VIRIS

*MAGNIFICIS PRAENOBILISSIMIS*

*CONSVLTISSIMIS SPECTATISSIMIS*

*AC PRVDENTISSIMIS*

CONSVLIBVS

SYNDICO

AC TOTI

ORDINI SENATORIO

*DOMINIS SVIS EVERGETIS*

*PATRONIS AC FAVTORIBVS*

*OMNI OBSEQVII ET OBSERVANTIAE CVLTV*

*SVBMISSO VENERANDISSIMIS*

DISSERTATIONEM HANC INAVGVRALEM

HVMILITER ET SVBMISSE OFFERT

IO. CONRADVS KLEIN.

30/34



# PRAEFAMEN.

*Herbarum ſive plantarum cognitio Medicis maxime eſt neceſſaria, ut, licet in reliquis artis ſalutaris partibus ſatis fuerint inſtructi verſatique, ſi ad profligandos morbos Regni vegetabilis notitia ſufficienti deſtituantur, in plerisque morbis bonum exoptatumque eventum expectare poterunt nullum. Et quæſo, qui naturam & virtutes herbarum non callet, quomodo ille in morborum curatione procedere rite poterit? Quanta vero in plantis ſanandi utilitas ſit abſcondita, Poeta hocce verſiculo indicavit:*

Herbis, non verbis, Medicorum eſt pellere morbos.

*Quare, cum adeo neceſſarium deprehenderim ſcrutinium ſimplicium, præſertim e Vegetabili Regno deſumptorum, omnino e re fore exiſtimavi, materiam hanc DE IVNIPERO, utpote planta in noſtro ſolo proveniente, eaque polychreſta, inventu facili, & ſine impendio comparanda, loco Speciminis Inauguralis elaborandam eligere. Licet enim* Beniaminus Scharffius *atque* Daniel Beckherus *de Iunipero iam ſcriptis multa tradiderint; tamen poſt meſſem horum Virorum doctiſſimorum ſpicilegium, vel ſaltem compendium rerum præcipuarum, ad Iuniperum ſpectantium, hic exhibere non ſine utilitate eſſe exiſtimavimus, quod ut feliciter eveniat, Divinum Numen ſubmiſſe imploramus.*

# CAPVT I.

## *De Nomine, Charactere, Deſcriptione, atque Differentiis Juniperi.*

### I.

HAud incongrua, ſed laudabilis eſt conſuetudo in Diſſertationum Academicarum elaboratione, ut rem aliquam tractaturus a nominis incipiat primordio. Hinc GALENVS, Alpha Medicorum, rectiſſime ſcripſit, ſine Nominis notitia, certam rei cognitionem impetrari non poſſe. Nec abſonum eſt divini PLATONIS aſſertum: *Nominum qui bene gnarus, gnarus eſt etiam rerum*: a nomine enim ſæpe res ipſa intelligitur. Recepto itaque a Maioribus more, ego quoque in hac Diſſertatione Inaugurali primo omnium, antequam Iuniperi naturam, vires, atque uſum in Medicina deſcribam, de vocis etymo pauca quædam dicturus ſum.

### II.

Quidam Iuniperi vocem a *iunior* & *pario* deducere volunt, ut Iuniperus dicatur quaſi iuniores ſive novos fructus pariens, antequam veteres depoſuit; cum fructus ſemper habeat novos, quando antiqui matureſcunt, uti BAVHINVS iam dudum annotavit *a)*. Nonnulli a latino & græco vocabulum compoſitum eſſe volunt, ut Iuniperus quaſi iunior ignis (πῦρ) dicatur, ſicuti THEOPHRASTVS exiſtimat *b)*: quod vero parum veriſimilitudinis habet. Chimici quoque, tradente MATTHIOLO, aſſeverant, carbonem ligni Iuniperi accenſum,

*a)* Pinac. Theatr. Botanic. p. 488.
*b)* de Cauſis plantarum p. 160.

ſum, ac ſuo cinere obrutum, ignem per integrum annum fovere, & hinc carbones immortales dici *a)*. Græcis appellatur *ἀρκευθὶς καὶ ἄρκευθος*, quod eius odorem omnia reptilia adverſentur, teſte eodem BAVHINO. Latini nominant ſimpliciter *Iuniperum*, eumque vulgo in fruteſcentem & arboreſcentem, ſive in maiorem & minorem, *b)* dividunt. Germanis audit Wachholder / vel Wachholderbaum / etymo prorſus obſcuro & dubio; dicitur etiam a quibusdam Feurbaum / item Krammetbaum/ ab avibus turdis, germanice Krammets-vögel/ dictis, quæ eius fructus ſive baccas amant, eisque loco cibi exquiſitiſſimi utuntur. Ratione Homonymiæ notandum, quod maior ſive arboreſcens vulgo Iuniperus, minor vero etiam, teſte TABERNAEMONTANO *c)*, Iuniperulus dicatur; quæ vero forte, ſaltem his in regionibus, non eſſentia differunt, ſed, ut puto, tantum ratione loci ſive ſoli, ob cuius diverſitatem nunc maiores, nunc minores evadunt, ita, ut modo arboribus, modo fruticibus annumerari ſoleant; inde etiam potiſſimum fieri exiſtimo, quod baccæ Iuniperi in Galliæ provincia *d)*, Hiſpania, Italia, Africa, aliisque regionibus calidis, ut multi referunt ſcriptores, longe maiores ſint, quam noſtrates.

## III.

Quamvis vero laudatiſſima hæcce planta paucis ſit ignota, methodus tamen requirit, ut DESCRIPTIONEM aliquam eius hic exhibeamus. Eſt itaque planta plerumque fruticoſa, quandoque etiam arboreſcens, ex radicibus ſparſis, truncum ligno-



*a*) vid. *Raius* Tom. II. Hiſt. plantar. p. 1412.

*b*) *Dioſcorides* de Mat. Med. Lib. I. cap. 87.

*c*) in Herbario ſuo.

*d*) teſte *Zwingero* in Herbario, qui eas ibi triplo maiores eſſe ſcribit, quam noſtrates.

lignoſum & durum, non tamen adeo craſſum, ſiſtens, *a)* corticе prædita puniceo, ſcabro, ſciſſili; ramos copioſiſſimos, *foliis* acutis pungentibus, quaſi ſpinoſis, ac ſemper virentibus dotatos fundens; fructus ſive *baccas* proferens rotundas ab initio virides, poſtea cœruleſcentes, ruffeſcentes, atque tandem nigras, piſi circiter magnitudine, odoras, amariuſculas, quaſi aromaticas; trunco eius ſæpe adnaſcitur *fungus* inſtar muſci, atque ſubſtantia reſinoſa promanat, quæ dicitur Gummi ſive *Sandaracha Arabum*, (ad diſtinctionem *Sandarachæ Græcorum*, quod vocabulum arſenicum denotat) ex qua reſinoſa ſubſtantia cum 🜄 *Vernix* componitur: quæ omnia a DEO T. O. M. in uſum atque commodum, tam pro hominibus, quam pro animalibus, creata ſunt.

IV.

Licet quoque *flores* proferat, neque coloris pulchritudine, neque eleganti figura conſpicuos, ſed amentaceos ſive ſtamineos, neque ſingulari utilitate pollentes; quia tamen a recentioribus optimisque Botanicis ad genus plantæ deſcribendum, notamque characteriſticam exhibendam, faciunt, eorum mentio non prorſus prætereunda eſt. Nam Clariſſimus TOURNEFORTIVS, Botanicorum facile princeps, Iuniperum tali modo deſcribit *b)*: *Iuniperus eſt plantæ genus, flore amentaceo, plurimis foliis cum apicibus conſtante, ſed ſterili; fructus ſeu baccæ oſſiculis turgent angulatis, ſemine fœtis oblongo.* RAIVS vero *c)* eam ad arbores *Iuliferas & bacciferas* refert, floribus in nucamenta oblonga diſpoſitis; ex quibus ſignis planta hæc ſatis cognoſci poteſt.

V. Quam-

*a)* *Lemery* Tract. Gallico de Medicamentis ſimplicibus ſub titulo *Iuniperus*, tradit, quod in variis Africæ regionibus maximas arbores magnitudine æquent, & quod ædificiis exſtruendis inſerviant.

*b)* in Inſtit. Botan. p. 588.

*c)* Method. Plant. emendata p. 140, 141.

## V.

Quamvis quidem plures dentur *Iuniperi ſpecies*, quam antea nominavimus, & a CASPARO BAVHINO *a)* ſeptem recenſeantur, quæ tamen omnes, præſertim duæ ultimæ, veræ Iuniperi non ſint; & TOVRNEFORTIVS in Inſtitut. Botanicis quinque, atque in Corollario tres adhuc ſpecies veras ac novas, ſicque in univerſum octo deſcribat: quia tamen nulla niſi vulgaris fruticoſa CASP. BAVHINI uſum in Medicina apud nos adepta eſt, propterea ceteris recenſendis ſtudio brevitatis hic ſuperſedebo, ſufficiatque modo eas indicaſſe. Qui vero reliquas ſpeciatim noſſe deſiderat, laudatos modo autores evolvere atque inſpicere poterit. Creſcit vero hæc planta non ſolum in locis montanis, ut RVELLIVS vult, verum etiam in planis, circa vias, in ſylvis, locis magis aridis & ſiccis, quam humidis aut pinguibus: neque ſolum in exteris regionibus, verum etiam ubique fere in Germania, & inprimis in Suevia noſtra, ſi Hercyniam ſylvam, ut quidam perhibent, excipias, copioſe provenit: ita, ut hinc ſummi Creatoris bonitas quam maxime ſit laudanda, quæ nobiliſſimam hancce plantam, tam ad præſervandos quam curandos morbos tam liberaliter nobis conceſſit, ſicuti de viribus eius inſignibus, uſuque nobili ac polychreſto, mox uberius diſſeremus.

## VI.

Ceterum, licet breves eſſe velimus, & non niſi præcipua de officinali Iunipero delibare, in animo mihi ſit, (omnia enim, quæ de ea dici poſſunt, deſcribere, integrum librum, non diſſertationem, requireret) *deſcriptionem tamen, ſupra §. III. datam, paulo uberius illuſtrabimus.* Dixi in deſcriptione, quod ſit planta fruticoſa, quandoque tamen etiam arboreſcens;

*a)* in Pinac. Theatr. Botan. p. 488.

reſcens: horum enim requiſita ſunt, radices habere ſparſas, truncum lignoſum, corticem, ramos, folia, flores, & denique fructus, quæ in hac planta baccæ ſunt. *Dixi etiam eam ſemper virere:* quod inde oriri exiſtimo, quia liquorem reſinoſum & balſamicum poſſidet, ſicuti pinus, abies, &c. Vnde fieri puto, ut non facile ab iniuria frigoris tempore hyberno lædi queat. *Cortex* huius arboris inæqualis & aſper eſt, vitisque annoſioris corticem quodammodo æmulatur. *Lignum* durum eſt, & quodammodo rubeſcens, maxime, quando ſiccum; odorem ſpargens haud ingratum, dum igne accenditur. *Planta eſt baccifera*, cuius baccæ copioſe inter folia progerminant, & colore, pro diverſo maturitatis tempore, variant: primo enim ſunt virides, poſtea fiunt ſubruffæ, & tandem, maturitate adepta, nigræ, continentes *pulpam* ruffeſcentem, quodammodo glutinoſam, oleoſam, aromaticam, ſaporis reſinoſi aromatici, dulcedine quadam mixti, multumque magnitudine variant: in Germania enim piſi magnitudinem raro ſuperant; in calidioribus vero regionibus, ut Galliæ provincia, Hiſpania, Italia, Græcia, Africa & Aſia magnitudinem avellanæ, ceraſi, nucis iuglandis, aut prunorum Damaſcenorum magnitudine, teſte DIOSCORIDE *a)*, TOVRNEFORTIO *b)*, & LEMERIO *c)*, reperiuntur. *Floret* menſe Maio, floribus amentaceis, pulviſculum continentibus, & autumno maturantur baccæ, ſic tamen, ut anno ſubſequente maturitatem demum ſuam adipiſcantur, quæ hoc anno propullularunt; quæ vero hoc anno matureſcunt, ſoboles ſunt anni ſuperioris. *Fungus* quoque Iunipero adnaſcitur, & quidem, ſecundum Botanicorum obſerva-

*a*) de Mat. Med. loco citato, ubi aſſeverat, baccas nucis iuglandis magnitudine quandoque grandeſcere, alias nucem Ponticam æquare.

*b*) Inſtitut. Botan. & Corollario.

*c*) in Tract. antea laudato de Medicam. ſimplic. ſub tit. *Iuniperus.*

obſervationes, menſe Maio, coloris lutei, qui trunco inſtar muſci cujusdam adhæret. De quo videatur D. BERNHARD. DE BERNIZ in Faſcicul. II. Medicament. ſecret. Arbor hæc, ut aliæ plantæ, ſuum habet *corpus organicum*, *animamque vegetativam*, qua creſcit, floret, fructusque producit; vaſculis etiam humore balſamico repletis, ad ſingulas partes tam alendas quam conſervandas, ornata atque dotata eſt. Certis vero temporibus, præſertim vere, liquorem hunc turgeſcentem expellit, ſicuti aliæ quædam arbores reſinoſæ faciunt. In Africa Iuniperum inciſione vulnerare ſolent, unde durante maximo æſtu reſina effluit, quæ *Vernix* ſive *Sandaracha Arabum* vocari ſolet, teſte eodem LEMERIO.

## VII.

*Ratione ſexus*, quædam dici ſolet mas, quædam fœmina; nonnullæ enim flores ferunt, at nullos fructus proferunt; aliæ e contrario fructus progignunt, verum floribus deſtituuntur, ut jam dudum recte obſervavit CAESALPINVS. BAVHINVS eam ſpeciem, quæ flores tantum fert, fœminam appellat; & quæ fructus ſolum producit, marem vocat. Clariſſimus vero RAIVS *a)* & quidem me iudice, recte hoc invertit, eamque, quæ fructus producit, fœminam, alteram vero marem nuncupat: nam fœminarum eſt fœtus ſeu fructus producere, non marium. An vero a pulviſculo floris maris fœmina impraegnetur, ut RAIVS, TRAGVS *b)* aliique non ſine ratione ſuſpicantur, adhuc ſub iudice lis eſt, & ſine meliori probatione pro certo aſſumi nequit. Datur tamen etiam Iuniperus, *quæ flores & fructus ſimul*, & quidem in iisdem ramis, producit; attamen fructus non in eodem loco, quo flores, ſed in diverſo proveniunt, ſicut LEMERYVS quoque notavit, loco citato.



*a)* Hiſt. Plantarum. *b)* in Herbario ſuo.

# Cap. II.

## *De Natura, Qualitatibus, Viribus & Præparatis Iuniperi.*

### VIII.

Conſideratis eis, quæ ad nomen, characteres atque deſcriptionem Iuniperi pertinent, progredimur nunc hoc Capite ad *naturam*, *qualitates & vires Iuniperi*, *generatim conſiderandas:* quæ vero tot tantæque ſunt, ut tempus me deficiret, ſi eas omnes pro dignitate recenſere aut deſcribere vellem. Nam quia iam in hoc argumento egregie deſudarunt SCHARFFIVS in Iuniperi deſcriptione *a)*, ut & DANIEL BECKHERVS in libro germanico de Sambuco & Iunipero *b)*, ut ſupra iam indicavimus: quapropter ſufficiat, primarias tantum ejus dotes hic enumerare, atque compendium illorum, quæ alias prolixe ſcripta ſunt, una cum ſpicilegio quodam rerum quarundam ab illis omiſſarum hic exhibere.

### IX.

Dioscorides, princeps inter veteres, qui de materia medica ſcripſerunt, lib. I. cap. 87. ſequenti modo de natura & qualitatibus Iuniperi loquitur: *Excalefacit, & □am movet, accenſa ſerpentes fugat;* baccæ *rotundæ, odoratæ, in mandendo dulces, ſubamaræ, modice calefaciunt, & adſtringunt; ſtomacho utiles, contra pectoris vitia, tuſſim, inflationes, tormina, & ſerpentium ictus efficaciſſime bibuntur. urinam cient; unde ruptis, convulſis, & ſtrangulatui uteri conve-*

---

*a)* Francofurti & Lipſiæ 1679. in 8v.

*b)* Lipſiæ germanice prodiit 1685. ſub titulo: Nützliche kleine Haus-Apotheck / darinnen die Beſchreibung theils des Hollunders / theils des Wachholders / enthalten.

*conveniunt.* Folia *tam ipſa, quam eorum ſuccum ex vino contra viperarum morſus illini aut bibi prodeſt.* Corticis cinis *cum aqua illitus lepras tollit.* Quibus verbis, ſi vir hic egregius non omnes, tamen pleraſque virtutes hic indicavit, ſcriptisque nobis reliquit.

## X.

Quidam, atque inter hos præcipue TAKIVS *a)* eam tanquam longævitatis remedium commendant, quia non ſolum ſemper vireat, fructusque gerat; ſed etiam quia balſamicum naturæ valde amicum, & ad balſamum ſanguinis noſtri conſervandum inſtaurandumque, contineat: ita, ut, quod HELMONTIVS de Cedro, tanquam remedio ad vitam longam, dixerit, id iure de hac germanica noſtra Cedro ſive Iunipero, non ſine ratione, affirmari queat. At *non ſolum lignum* particulis balſamicis abundat, verum hæc virtus quoque quam maxime *in baccis*, & præcipue in earum pulpa reſidet. Quapropter hæ baccæ tanquam verum atque egregium aroma Germaniæ noſtræ conſiderari poſſunt *b)*, quæ non ſolum in quamplurimis morbis chronicis, ſed etiam in acutis, magnam utilitatem exhibere poſſunt; præſertim vero ob particulas blandas balſamico-aromaticas, ſubacres & ſubamaricantes, ut & propter oleum penetrantiſſimum & ⊖ copioſum, quæ in medicamentis iuniperinis, maxime vero in ligno & baccis, reperiuntur, moderate calefaciunt, ſiccant, reſolvunt atque attenuant; hinc ſudorifera & alexipharmaca ſunt, digeſtionem

 læſam

*a)* Chryſogonia animali p. 120.

*b)* in Manuſcripto de Mat. Med. HERMANNI, quod Excell. Dn. D. HEISTERVS poſſidet, & longe auctius eſt, quam liber Hermanni, quod Argentorati prodiit, ſingulare quid & forte ab aliis non notatum inveni: in eo enim HERMANNVS ita ſcribit: *Dantur nonnunquam baccæ iuniperi albæ ex Suecia ad nos (ſcilicet in Hollandiam) delatæ, quæ gratiſſimæ ſunt.*

læſam promovent, appetitum excitant, atque ob balſamicam quandam ſimilitudinem cum Terebinthina & balſamis Indicis habentem, diuretica quoque ſunt, ſerum ſuperfluum per renes expellunt, urinam & menſes cient, teſte SCHRÖDERO *a)*, obſtructo lieni, hepati, hydropi, affectibus capitis, nervorum & pectoris pituitoſis ſuccurrunt. Carminativa quoque ſunt, hinc morbis a flatibus oriundis, ut colicæ, medentur, atque pituitam renum & veſicæ reſolvunt, expelluntque. *Eligi vero debent* baccæ recens ſiccatæ, magnæ, ſucculentæ ſive reſinoſæ, odoris fragrantis & aromatici. *Suffitus* tempore peſtis aut alias, quando aer malignis effluviis repletus, aut nimis frigidus & humidus eſt, uſitatiſſimus atque efficaciſſimus exiſtit, cum e baccis, tum e ſarmentis ſive ramuſculis accenſis excitatus. *Lignum* in decoctis potiſſimum uſurpatur. *Gummi Iuniperi*, quod iudice PAVLO HERMANNO *b)* cum maſtiche convenit, in nervorum affectibus, reſolutione ſcilicet eorum ſive paralyſi, frigiditate & contractura prodeſt, ſoletque in ſuffitu tam par ſe, quam cum aliis adhiberi. Si hoc gummi in ℴ° lini ſolvitur, egregium præbet *unguentum contra ambuſta*, & *dolores hæmorrhoidum* leniendos. *Fungus* inſervit ▽æ ophthalmicæ parandæ, ſicut SCHRÖDERVS & HOFFMANNVS in Clave Schröderiana referunt.

## XI.

Ad *præparata* ex Iunipero quod attinet, SCHROEDERVS *c)* multa quidem recenſet admodum egregia & utilia, quibus tamen adhuc varia alia, haud minoris momenti, addi poſſunt. Primo loco recenſet *aquam* ex baccis ſine prægreſſa fermen-

*a*) Pharmacopœia Medico-Chimica Lib. IV. Claſſ. I.
*b*) in Cynoſura Mater. Med.
*c*) Loco citato.

fermentatione deſtillatam: quæ vero, ut ipſe ſcribit, raro in uſu eſt, nec facile hodie amplius in officinis reperitur, quia ſic vel exiguæ vel nullæ vires inde educi poſſunt. Secundo inde præparatur *ſpiritus:* qui vel ex baccis cum aqua per aliquot dies fermentatis, & per veſicam deſtillatis, conficitur, ubi nonnulli loco aquæ cereviſiam ſumunt; vel paratur ex baccis, quibus 🜅 affunditur, & poſtea inde deſtillatur. 3tio. *Oleum ex baccis* cum aqua deſtillatis, quod valde ſubtile, penetrans & magnarum virium eſt. 4to. *Oleum ex ligno* per retortam deſtillatum, ad normam olei ligni quaiaci: quod tamen etiam, & quidem melius, per veſicam deſtillari poteſt. 5to. *Sal Iuniperi*, quod ex cineribus cum baccarum, tum præcipue ligni, confici poteſt. 6to. *Rob Iuniperinum*, quod etiam *mel Iuniperinum*, item *theriaca Germanorum* appellatur *a)*, fit coctione baccarum cum aqua, hinc pulpæ expreſſione, & ad mellis conſiſtentiam inſpiſſatione: loco aquæ vero QVERCETANVS vinum ſumit, & ſic Rob potentius ſive efficacius conficit. 7mo. *Extractum gummoſum* ex ligno & cortice paratur, ſicuti a QVERCETANO Pharm. Reſt. cap. 23. deſcribitur. 8vo. *Extractum ex baccis ſiccis*, fit vel cum 🜅, vel cum 🜈 iuniperi: laudaturque utrumque hoc Extractum, tanquam excellens ſudoriferum & bezoardicum, adverſus epilepſias, peſtes, & affectus alios contagioſos atque venenatos, a ℈j ad ℈ij. 9no. *Elixir iuniperinum*, (ab aliis aqua vitæ iuniperina dicta) *b)*, fit ex Rob vel melle iuniperino, affuſo 🜈u iuniperino, digere aliquamdiu leniſſimo calore, ſic confeciſti Elixir iuniperinum, colore rubicundo, admirandarum virium in calculo *c)*, quod inſuper eſt ſtomachicum inſigne eſt, aliasque facultates eximias



*a)* *Raj.* Hiſt plantar. & *Kircher.* de peſte.

*b)* vid. *Hœferi* Hercul. Med. lib. 3. cap. 4. p. 175.

*c)* vid. *Conr. Kunrath.* Medulla deſtill. Part. I.

mias obtinet, quæ alias in baccis eſſe affirmavimus: doſis eſt cochlear 1.

## XII.

Præter medicamenta vero ex Iunipero paranda, quæ e SCHROEDERO modo recenſuimus, adhuc alia ex eo produci poſſunt, nimirum: 1mo. *Spiritus acidus* ex ligno, qui bezoardicus eſſe dicitur, itemque diureticus, præſertim ſi in eo lapid. cancrorum aut corallia ſolvantur, liquorque exhibeatur: non tamen valde in uſu eſt. 2do. *Lixivium ex cineribus ligni aut baccarum*, quod admodum penetrans & diureticum eſt, ideoque hauſtum in hydrope valde commendatur. 3tio. *Malvaticum iuniperinum*, quod paratur, quando vinum malvaticum Rob iuniperi affunditur ac digeritur. Alii cum affuſo proprio ~u præparant, &, ob colorem, malvaticum iuniperinum appellant. *a)* In affectibus frigidis ventriculi & renum, in flatibus & colica, præſtantiſſimum eſt remedium, ſi ſubinde ad cochlearia ij vel iij ſumatur. 4to. Ita & MYNSICHTVS in armamentario ſuo chimico *Tincturam* parat ex bacc. iunip. ſem. aniſ. rad. angel. lign. nephrit. macere, ſimiliter cum vino malvatico extractam: quæ in iiſdem morbis laudatur. 5to. Recentiores quidam Doctores *baccas iuniperi torrent*, ut baccas Coffæ, affundunt deinde aquam ferventem, aut eas parum decoquunt, illudque poſtea decoctum, ut decoctum Coffæ, calide quotidie ſorbillandum præcipiunt: quod in affectibus, ubi urina aut ſabulum pellendum, tanquam utiliſſimum remedium commendant. 6to. Alii *Cereviſiam iuniperinam* parant, dum cereviſiæ recenti baccas iuniperi infundunt, easque ſimul fermentationi exponunt: hacque ratione cereviſiam parant in prædictis affectibus haud contemnendi uſus. 7mo. Alii cum vino novello ſive muſto eodem modo procedunt, atque

*a) Ettmullerus* Commentar. in *Ludovicum.*

atque ſic *vinum iuniperinum* conficiunt, in ventriculi, inteſtinorum, renumque affectibus frigidis utiliſſimum. Poteſt tamen quoque cereviſia & vinum iuniperi ſine fermentatione parari, ſi modo baccis contuſis vinum vel cereviſia affunditur, & aliquamdiu digeritur. 8vo. In pharmacopœia Norimberg. deſcribitur *Elixir iuniperinum*, quod quidem eodem modo paratur, ut ſupra de Elixirio dictum eſt; verum ad modum liquorum, qui hodie Aquæ vitæ vel Ros ſolis vocantur, ſaccharo edulcoratur & filtratur, ſic gratius evadit. 9no. In Gallia quoque *baccas ſaccharo condiunt ſive obducunt*, ad ſimilitudinem confectionis ſeminis aniſi, fœniculi, carui, coriandri, cubebarum, &c. atque hanc conditur am Galli *confectionem ſancti Rochi* appellant, quoniam ad peſtem præſervandam, in qua *ſanctus Rochus* tanquam patronus veneratur, eam utilem ſive proficuam eſſe, cenſent. *a)* 10mo. Si in o°o terebinthinæ vel ℣ini ſolvitur gummi iuniperi, *vernix* ſive *balſamus* inde paratur egregius, qui non ſolum in mechanicis uſurpari poteſt, verum etiam qui in chirurgia ad vulnera & ulcera ſananda, in anatomia vero ad conſervandas partes corporis humani aliorumque animalium, ſi eo largiter inprægnantur ſive obducuntur, optime conducit. 11mo. BECKHERVS etiam baccas contuſas cum aceto infundit, atque inde *acetum bezoardicum* conficit. *b)* Qui adhuc alias *formulas*, diverſis in morbis utiles, de iunipero videri deſiderat, evolvat laudatum SCHARFFIVM, BECKHERVM, KVNRATHVM, ut & BAPSTIVM de Iunipero, atque HERMANNI *Cynoſuram Materiæ Medicæ* pag. 137. Nonnulli *aquam iuniperi per deſcenſum* præparant, eamque *ad vomitum excitandum* commendant: quia vero longe meliora vomitoria proſtant, hac aqua facile carere poſſumus.

CAP. III.

*a*) *Lemery* loco citato.

*b*) Tract. de Iuniper. pag. 216.

# CAP. III.

## *De Vſu Iuniperi.*

### XIII.

EX antecedenti Capite conſtat, uſum iuniperi eſſe multiplicem, varium ac revera polychreſtum, ita, ut, dum quamplurimis morbis, tam univerſalibus, quam particularibus, conducat, tam latus ſe hic dicendi aperiat campus, ut, unde incipiendum, ubi definiendum ſit, prope non videam; ut tamen rem in ordinem aliquem redigam, primo de Vſu eius in morbis univerſalibus paucis acturus ſum, & poſtea ad ſpecialiores ſive particulares morbos capitis, thoracis, abdominis atque extremitatum progrediar, in quibus iuniperus cum fructu exhiberi poteſt.

### XIV.

Ante omnia vero hic iterum monemus, quod ſuperius iam fuit dictum, iuniperum ac pleraque *præparata ex eo eſſe calida*, *attenuantia*, *aperientia*, *atque diuretica*, ideoque ea egregie conducere maxime in cachexia phlegmatica, leucophlegmatia, anaſarca, œdematibus, & omnibus hydropis ſpeciebus: in quibus vero præcipue proſunt ſpiritus, ſal, lixivium & Rob Juniperi, Elixir & malvaticum iuniperinum, cereviſia & vinum iuniperinum, ut & decoctum ligni iuniperi: de quibus vero plura inferius ubi de aſcite. Deinde virtutem habent iuniperina *bezoardicam* & *ſudoriferam*, cuius ratione tam in prædictis *morbis phlegmaticis*, quam in *Catarrhalibus* affectibus, egregie proſunt, teſte ROLFINCIO *a)*: deinde etiam in *febribus intermittentibus* magnæ ſunt efficaciæ: quo nomine præſer-

*a*) Lib. II. Conſultat. XXII.

præſertim Rob, extractum ex baccis paratum, oleumque deſtillatum, commendantur. Ita in *paralyſi* non ſolum pleraque interna iuniperina, decoctum ligni cum regimine ſudorifero, Elixirium iuniperi, vinum iuniperinum & Rob, tam confortando nervos, quam ſtagnationes ſive obſtructiones reſerando conducunt; verum ſpeciatim externe *membra paralytica* circa articulos, præſertim etiam ſpinam dorſi oleo iuniperino calide fricando egregie proſunt. *a)* *Balnea* quoque ex decocto ligni iuniper. tam ad *paralyticos*, quam *arthriticos* reſtituendos valde commendat MATTHIOLVS. *b)*

## XV.

*Suffitus* ex gummi iuniperi ad quasvis congeſtiones lymphæ aut catarrhos reſolvendos, ſive per ſe, ſive cum ſuccino aliisve commixtum, magnæ ſunt efficaciæ. Ita & ipſa *ſarmenta iuniperi* accenſa alexipharmaca ubique habentur, ad maligna effluvia in aere temperanda & corrigenda. Eidem ſcopo inſerviunt *baccæ prunis impoſitæ*, & præferuntur in prædictis caſibus omnibus ſuaveolentibus ſeu fragrantibus. *In peſte præſervanda* ETTMVLLERVS Elixir iuniperi laudat. Maxime vero in hac aliisque febribus malignis *Rob iuniperi* tanquam *Theriaca Germanorum c)* ſive *Theriaca Ruſticorum d)*, ſi a ℨj ad ℨij ex cochleari uno vel altero aceti aſſumatur, potenter ſudorem movet, malignitatemque expellit. *Oleum* quidem quoque in peſte ad ſudorem movendum a quibusdam laudatur *e)*: quod vero nimis calefaciens mihi videtur, adeoque noxium. *Baccæ* contra mane maſticatæ, aut comeſtæ, præſertim in aceto maceratæ, longe melius atque ſecurius præſervare dicuntur ab infectionibus malignis, quod quoque præſtare poſſunt, ſi earum pulvis cum melle in Electuarium

C redigi-

*a)* *Raym. Fortis* Conſult. Medic. p. 38. 56. *b)* Comment. in Dioſcorid.
*c)* *Kircherus* de peſt. ſect. 3. p. 318. *d)* *Ettmuller*. Comment. in *Schrœderum*.
*e)* ab *Ettmullero* Comment. in Schrœder. & *J. Bauhino*.

redigitur, aut ſaccharo obducantur. Optimas vero eſſe cenſeo, quæ aceto ſunt maceratæ: quia acetum iam per ſe egregie veneno peſtilentiali & contagio adverſatur. TENZELIVS iuniperina etiam commendat contra *lepram a)*. ETTMVLLERVS decoctum lign. iuniperi in *ſcorbuto* & *lue venerea* curanda valde deprædicat. *b)*

## XVI.

Indicatis ſic primariis morbis univerſalibus, quibus iuniperina medicamenta medentur, videamus iam quoque paucis, in quibus morbis particularibus ea conveniunt; incipiendo a capite, & pergendo ad reliquas partes. In genere autem hic ſtatuimus iuniperina medicamenta in omnibus ac ſingulis *Capitis affectibus prodeſſe*, qui ab intemperie frigida proveniunt: ut in dolore capitis ſeu *Cephalalgia* pituitoſa, in *vertigine*, *memoriæ debilitate*, *affectibus ſoporoſis*, a ſimili cauſa provenientibus, ac præterea in *catarrhis frigidis* ſive congeſtionibus ſeroſis diſſipandis: ubi non ſolum *interne* uſus ipſarum baccarum iuniperi, ſpiritus ſive Elixirium, aqua vitæ Iuniperina, malvaticum iuniperinum, Rob iuniperinum atque decoctum ligni iuniperi, vel per ſe, vel cum aliis cephalicis ac nervinis mixtum; ſed etiam *externe* oleum iuniperinum, tanquam remedium ſubtiliſſimum & penetrantiſſimum, bregmati, nuchæ ac temporibus illitum egregie conveniunt. Ita etiam ad *Cephalalgiam* mitigandam, remedium euporiſton ac vulgo etiam notum eſt, quando baccæ iuniperi cum mica panis & ſale fronti ac temporibus applicatur; cui epithemati, ubi æſtus adeſt, acetum roſaceum, rutaceum, rubi idæi, vel aliud ſimile addunt, ut ſic æſtui quoque medeatur. In *apoplexiæ præſervatione*, *catarrhis frigidis*, *coryza*, *cephalalgia*, *hemicrania* & *vertigine*, miras virtutes ipſi adſcribunt Autores, qui

*a)* in Medic. diaſtat. p. 169. *b)* Commentar. in *Schrœderum*.

qui apud SCHARFFIVM & BECKHERVM videri poſſunt: inprimis vero HOFFMANNI *Elixir cephalicum a)* in his affectibus commendandum, quod & baccæ & ſal iuniperi ingreditur. In *Epilepſia* quoque oleum iuniperi cervici & bregmati utiliter inungitur.

## XVII.

Speciatim vero in *oculorum* morbis medicamenta iuniperina omnia a BONETO in *Ionſtonum*, ut & a celebri illo Ophthalmico Germano BARTISCHIO *b)*, ac ZVVINGERO *c)* egregie laudantur, ſi quotidie interne uſurpantur; inprimis vero ZVVINGERVS vult, ut in debili viſu ſingulo die tempore matutino a talibus hominibus per integrum annum ſex ad duodecim baccæ comedantur, ſic eis & ventriculum & viſum roborari, atque ægros ab imminente *Gutta ſerena* & *Cataracta* præſervari. Ab ETTMVLLERO laudatur etiam *lixivium ex baccis & ligno iuniperi* paratum, ad viſum roborandum, ſi ſi ſingulis ſeptimanis eo caput lavetur; affirmans, tales per totam vitam nullum viſus detrimentum ſenſuros eſſe; cui autem aſſerto an omnino fides ſit adhibenda, valde dubito, atque uberiori experientiæ relinquo. *Vaporem ex baccis* iuniperi, in aqua vel vino decoctis, *palpebrarum hordeolos* atque oculorum nubeculas diſcutere, idem laudatus ZVVINGERVS, ut & TABERNAEMONTANVS tradunt, qui & aquam deſtillatam oculis inſtillatam ungues & nubeculas tollere affirmat.

## XVIII.

Præterea ex Iunipero valde utilis præparatur medicina *contra auditus difficultatem*, quando nimirum baccæ iuniperi craſſo modo contuſæ ſubactæque cum maſſa farinacea in formam panis redigantur, & in furno coquantur; qui deinde

 panis

*a)* in Theſaur. pharmacevt. p. 59. deſcriptum. *b)* in Ophthalmoduleia.
*c)* in Herbario.

panis calide e furno prodiens medius diſſecetur, atque ſic calide auribus, difficulter audientibus, admoveatur, cavendo tamen, ne nimio calore auris lædatur, atque auditus magis depravetur, quam emendetur: Alii huic pani calide diſſecto, calentique, ante applicationem affundunt parum ſpiritus iuniperini, aut 🜄 camphorati, aut aquæ Reginæ Hungariæ, ut ſic tanto efficacius iuniperi vis diſcutiens atque reſolvens operetur; aliquoties vero hæc repeti debent, donec æger optatum ſucceſſum percipiat: id quod multi nunc citius, nunc tardius magno cum fructu experti ſunt. TIMAEVS A GVLDENKLEE *a)* ex lixivio iuniperi cum vino parato ſtillicidium commendat in difficultate auditus, quod pro materia tenaci, dura, viſcida, meatum auditorium obſtruente, reſolvenda, catarrhisque diſcutiendis maximopere laudat: præſertim ſi huic lixivio ſimul roborantia cephalica admiſceantur. Denique in *tinnitu aurium* ut & *auditu difficili*, ſi gutta una vel altera *olei deſtillati iuniperi* tepide auribus immittatur, egregie ſæpe confert, præſertim ſi balneum præcedat, cui æger ante applicationem olei aliquamdiu immittatur *b)*, novique Empyricum, qui hac ratione multos ab auditus difficultate liberavit. *In dolore dentium* oleum hoc egregiam quoque habet efficaciam: quando enim denti cavo dolenti, una alterave guttula immittitur, dolor præſertim talis, qui vel a ſtaſi frigida, vel a putredine in dente collecta, oritur, brevi ſæpe tollitur. Denique *in ulceribus narium ſordidis* eluendis atque expurgandis decoctum iuniperi a CLVSIO commendatur.

## XIX.

Sicuti medicamenta iuniperina in frigidis ſive pituitoſis capitis affectibus laudem ſuam merentur: ita non minus *in affectibus*

*a)* Lib. I. Caſu 31.
*b)* vid. *Tragus* in Herb. ut & *Reuſneri* Obſervatio 44, p. 26.

*fectibus frigidis ſive pituitoſis pectoris* ſe commendant: ideoque *in aſthmate pituitoſo*, *raucedine* ac *tuſſi* a cauſa frigida ortis, non ſolum decoctum ligni, aut baccarum iuniperi cum regimine diaphoretico exhibitum, egregie proſunt: verum & ſpiritus, *Elixirium* & aqua ſpirituoſa Iuniperi aliaque ex Iunipero præparata, haud exiguam opem ferre poſſunt. In ſpecie vero in aſthmate pituitoſo fortiori *oleum deſtillatum* Iuniperi ad aliquot guttas ſubinde exhibitum, pituitam egregie incidit, atque expectorationem potenter promovet. *In phthiſi* ſuffitus baccarum Iuniperi ab ETTMVLLERO *a)* commendatur, præſertim ſi aliquid ſuccini ipſis admiſceatur: quod ſine dubio ob vim balſamicam contingit, quæ in pulmonis exulceratione non poteſt eſſe inutilis. Eandem vero ob cauſam *in catarrhalibus defluxionibus acribus* ad pectus, quæ ſæpe phthiſin inferre ſolent, ſuffitus hic haud inidoneus eſt cenſendus, ad phthiſin avertendam: quoniam acrimoniam ſeri vi ſua balſamica temperat. *In calidis vero pectoris morbis*, ut peripnevmonia, pleuritide vera, tuſſi & raucedine a cauſa calida ſive ſanguine æſtuante provenientibus, iuniperina haud utilia eſſe cenſemus, licet a nonnullis in iis quoque præſcribantur. *b)*

## XX.

Licet igitur magnum uſum habeant juniperina in morbis capitis & thoracis, tamen longe majorem adhuc obtinent utilitatem *in morbis infimi Ventris ſive abdominis*, & præſerin calculo atque hydrope; quorum quaſi primaria ſunt ſpecifica: ſpeciatim vero in hydrope aſcite, valde laudatur *Lixivium ligni juniperini* pro ſcopo diuretico, nominatim ab HOFFMANNO *c)* SIMONE PAVLLI *d)* HARTMANNO *e)* aliisque, qui il-



*a)* Commentar. in *Schrœderum.* *b)* *Rolfincius* L. V. Conſultat. IV. *Schaffius* de Iunipero p. 160. *c)* Clave in *Schrœderum.* *d)* Quadripart. Botan. *e)* Praxis Chymiatrica.

lud Lixivium tantopere hic deprædicant, ut eo ſolo plures ab hydrope curatos eſſe affirment. Quidam hoc lixivium ſola aqua parari jubent; alii vero, ut MATTHIOLVS, *a)* illud cum vino fieri malunt. SYLVIVS *b)* vero in hydrope valde commendat, *Electuarium ſuum hydragogum*, quod Rob Juniperi copia magna ingreditur, & urinas potenter e corpore expellit. *Vinum juniperinum*, licet generatim intemperie ventriculi frigida laborantibus proſit, in hydrope tamen ſpeciatim commendatur, eoque quis ab inveterato hydrope apud RIVERIVM ſanatus eſt *c)*: pauperes vero loco vini, cerviſia juniperina commode in hoc morbo uti poſſunt; cujus parandi modum vide apud HOFFMANNVM in clave Schrœderiana, ut & apud ETTMVLLERVM *Decoctum ligni juniperini* cum regimine ſudorifero adhibitum, vel per ſe, vel cum aliis idoneis remediis remixtum, multis egregie profuit. Inprimis etiam *infuſum* ex baccis juniperi, abſynthio & centaurio minore pro laudatiſſimo euporiſto habetur in hydrope a Celeberrimo WEDELIO, præceptore quondam noſtro æternum devenerando *d)*, quod vel cum vino, vel cum cereviſia parari poteſt. Illuſtris VOLCKAMERVS, Pater, Academiæ Naturæ Curioſorum quondam præſes digniſſimus, infuſum baccarum juniperi & abſinthii, cum vino vel cereviſia paratum, tanquam remedium frequenti experientia comprobatum, in eodem morbo magnopere commendat. vid. M. N. C. Ita & RVLANDVS, RIVERIVS, ETTMVLLERVS, HERMANNVS, & alii plerique practici omnia ex junipero parata medicamenta tanquam præcipua atque præſtantiſſima contra hydropem remedia extollunt.

## XXI.

*In calculo & ſabulo renum* magnam quoque famam adepta ſunt juniperina, ob egregiam virtutem diureticam, qua

*a)* Comment. in *Dioſcoridem.* *b)* Praxis Medica lib. 1. cap. VII. § 55.
*c)* Cent. IV. obſ. 82. *d)* in Amœnitatibus Mater. Med. pag. 348.

qua ſordes, pituitam, mucilaginem, ſabulum atque minores calculos e renibus ac veſica expellunt. Commendatur hunc in finem *lixivium* ex cineribus juniperi paratum, itemque decoctum baccarum toſtarum ad ſimilitudinem decocti Coffæ confectum. Deinde quoque *vinum juniperum* hic egregium eſt, cujus laudes apud SIMONEM PAVLI *a)* prolixius legi poſſunt: ubi illud contra nephritidem & calculum maxime commendat. *Elixirium juniperinum* in ſabulo & calculo renum multis profuiſſe, teſtatur SCHROEDERVS, *b)* ZWINGERVS *c)* HORSTIVS *d)* aliique: ſi ſubinde ad quantitatem Cochlearis unius vel dimidii ſumatur. Multi etiam hic laudant *oleum Juniperi* tanquam ſecurum atque expertiſſimum remedium ad calculum arenulasque expellendas *e)* ſi ſubinde ad guttas V. vel VI. ex vino vel juſculo aſſumatur. Cautus vero hic ſit calidiorum horum uſus, ne noceamus, dum prodeſſe volumus. *Decoctum ligni* juniperini, ut & uſus moderatus baccarum juniperi in his morbis non poteſt eſſe non proficuus: ita & Roob juniperi non erit contemnendum; WEDELIVS enim illud ſe contra dyſuriam felici cum ſucceſſu ſtudioſo cuidam exhibuiſſe, commemorat. *f)*

## XXII.

*In ventriculo debili, flatibus, hernia flatulenta*, & alias ubi digeſtionem promovere volumus, Elixir vel malvaticum juniperinum ipſumque Roob Juniperi egregie conducunt: poſſuntque in morbis Ventriculi pulveres ſtomachici commode ex hoc Roob in forma Electuarii exhiberi *g)*. Ita etiam oleum deſtillatum juniperi *in morbis ventriculi ac inteſtinorum frigidis, nauſea, vomitu, anorexia, Cardialgia, flatibus, Colica*, ad guttulas aliquot ſumtum valde egregium eſſe, prædicatur *h)*. *Lumbricis* etiam valde adverſatur oleum juniperi ſi in juſculo vel etiam vino vel Sirupo quodam exhibeatur. *i)*

XXIII.

*a)* Quadripart. Botan. *b)* Pharmacopoeia Chymica cap. de Iunipero. *c)* in Herbario. *d)* in Epiſtolis medicis ſect. XIV. *e)* *Sylvius* lib. II. Meth. med. Cap XXIV. §. 48. *f)* Amoenit. Mater. Med. p. 387. *g)* vid. *Conr. Kunrath.* Medulla deſtillatoria. *h)* ibidem. vid. quoque *Grünling.* Florileg. Chimicum part. 7. cap. 1. p. 194. *i)* *Riverius* prax. med. Lib. X. Cap. 9. & *Zwingerus* in Herbario.

XXIII.

*In obſtructionibus hepatis & Ictero* hoc oleum quoque a quibusdam valde laudatur: quia penetrans eſt, & ad obſtructiones reſerandas aptiſſimum videtur; quod inprimis ab ipſo expectari poſſe puto, ſi vel decoctum juniperi, vel lixivium ejusdem calide ſuper ingeratur, atque vel diaphoreſis in lecto expectetur, vel motus corporis poſtea inſtituatur. Ita & *in Ictero* cum hydrope IOEL *a)* commendat inſuſum ex radice Chelidonii majoris M. II. baccis Juniperi M. I. & vin Rhenani ℔j, de quo exhibeantur mane & veſperi hauſtus ℥iij.

XXIV.

*In menſibus non rite fluentibus* juniperina quoque pellendi fine conducunt: hic a ZWINGERO *b)* commendatur, ut tempore menſium inſtantium baccæ juniperi in vino decoquantur, adjecto *in fine* croco, cujus decocti per aliquot dies hauſtus calide matutino tempore bibatur. FORESTVS *c) ad partum facilitandum* ſuadet, ut mulier gravida ultimo geſtationis menſe, quotidie baccarum juniperi V. vel VI. cum una alterave ficu comedat: ſic partum facilem futurum eſſe, perhibet Ceterum & oleum deſtillatum juniperi *in pellendis menſibus, ſecundinis ac fætu mortuo*, ut & alias in *partu difficili* promovendo tanquam potentiſſimum pellens habetur.

XXV.

Denique *in externis quoque affectibus* non deſtituuntur laude ſua juniperina: nam Lixivium ex cineribus juniperi *pedibus Oedematoſis* cum linteis, noctu præſertim ante ingreſſum lecti applicatum, tumores hos, teſte ETTMVLLERO *d)* feliciter diſcutit. Porro *in doloribus artuum, arthriticis, podagricis, vel a catarrhis oriundis*, Spiritus juniperi vel ſolus, vel cum ſapone veneto mixtus, ſi calide ſæpe affricatur, egregie conducit. Ita etiam *membris paralyticis* vel per ſe, vel cum Spir. CC. Eſſ. ſuccini aſæ fætid. Caſtor. aut balſami peruviani mixtus, & calide illitus, optime ſuccurrit *e)*: loco Spiritus oleum deſtillatum utiliter quoque ſæpe adhibetur. Nonnulli etiam laudant oleum hoc *tanquam egregium balſamum traumaticum, ad ſananda ulcera cocoethica*, itemque lepram, tineam, capitis, ſcabiem & herpetem *f)*: ita & ad *tumores duros* reſolvendos, præſertim *ſtrumas & ſcrophulas* commendatur. *In algoribus febrium* intermittentium præſertim quartanæ optime quoque conducit, ſi ſpina dorſi eo illinatur; imo nonnulli ipſam quartanam ita tolli poſſe affirmant *g)*. *In pernionibus* quoque tam per ſe quam cum oleo terebenthinæ permixtum & illitum egregium eſt remedium: *Lixivium cinerum* juniperi etiam *ſcabiem* curare dicitur, ſi partes affectæ ſæpius eo abluantur.

Et hæc de Iunipero ſpeciminis inauguralis gratia ſcripta ſufficiant

*a)* praxis medica. *b)* in Herbario. *c)* Lib. XXIIX. obſervatio 69. *d)* Comment. in *Schrœderum*. *e)* Conf. *Timæus a Gulden Klee* Lib. I. Caſ. 40. *f)* de quibus videri poſſunt *Conrad. Kunrath. Scharffius*, *Beckherus*, *Ettmüllerus*. *g)* videatur *Ettmüllerus* autoresque modo citati variis in locis.

**III. ABTHEILUNGEN.**

In Quart.

Kupfer.

Kupfer.

Kupfer.

",

**TTENIUS.**

kfurt a. M.

U. HOLZER
BINDER
BOSTON, MASS.